



I, 16.



I, 16.

4

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
GEORGIUS
R V D O L P H V S
BOEHMER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANIC. PROF. PVBL.
ORDINARIUS


I N S T I T V T V M
CAROLI CHRISTIANI KOCH

DOMITSCIENSIS MISNICI
LL. AA. M. ET SS. TH. CVLTORIS
MEMORIAM REPVRGATORVM SACRORVM
ORATIONE ANNIVERSARIA
MAIORI IN AVDITORIO

A. D. VII. KAL. FEBR. A. R. S. c1o 1o CCLXII.
CELEBRATVRI

C I V I B V S
ET POSTERITATI COMMENDAT

*Praemittitur Antiquitarum Germaniae Specimen VIII.
de originibus Saxonis III.*



VITEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

Quod contra ADAMI, quem Bremensem dicunt, lepidum commentum de origine nominis Holtzfatici a filius monitum est, contra ISIDORVM quoque (Orig. l. IX. c. II.) valet scribentem: *Saxonum gens virtute atque agilitate habilis: unde et adpellata, quod, sit durum et validissimum genus hominum.* Est hoc prope suppar nugis, quas secuti erant de Langobardis fabellam narrantes, quasi nomen a Wodano acceperint; quam dum ridet PAVLLVS VARNEFRIDI F., (l. I. c. VIII. et IX.) recte tamen a longis barbis ortum vocabulum agnoscit, quia ipse sermo gentis integras voces habeat. In quo plus rationis inest, quam si longis a campis vocatos velis, quos illo tempore, quo Romanis innotuerant, nondum incolebant, et quos aliter ab ipsis adpellari, idem PAVLLVS aliique tradunt. (V. CHRISTII Comm. de reb. Langob. c. XI. adnot. 5. p. 34.) Nimirum circumspecte in gentium originibus inuestigandis argumenta nominum tractanda sunt; vt vt nec plane quidem etyma sermonis recentis contemnantur, multa tamen simul alia expendantur; quum haud facile tanta alibi caussarum varietas deprehendatur. Ita celebritatem, nominis Saxoniae antiquae et nouae cogitantibus, simulque id reputantibus, quod postea euincemus, post emissam etiam coloniam terras Eidora tenus Saxonum indigenarum mansisse, nihil, quod fidem difficiliter recipiat, statuere videbimur, quando in Oltzfassiae,
an

an Holtfattiae, vocabulo maiores nostros inquirimus. Ne in illo quidem, quod BANGERTI opinionem improbauimus, aliorum iudiciis diffidimus. Probare is (ad HELMOLDI l. I. c. XIX. p. 58.) uoluit, vetus Holtstiae nomen fuisse Holdenstein, aut Hodunstetin, laudata Reginonis et Annalium Francicorum auctoritate. Sed enim nihil ad Holtstiam pertinens in his refertur. Nam REGINO, ANNALES NVENAR., et MONACHVS EGOLISMENSIS, quum ad A. C. 1033. propter res transalbianorum Saxonum Carolum M. expeditionem suscepisse, translatisque illis e Wihumodia in Franciam, per legatos egisse cum Godofredo, rege Danorum, produnt, *sedisse ipsum*, aiunt, *super Albiam, in loco, qui dicitur Holdenstein*, apud REGINONEM, *Holdunstetin* in ANNAL. NVENAR., *Ondulstetin* apud MONACH. EGOLISMENSEM. Omnium horum narratio vno ex auctore transcripta est, vt adparet. Sed magnae difficultates in ea supersunt. Oratione enim intricatissima vsus est, quisquis primus id posuit. Nam quid Transalbianis Saxonibus et Wigmodiae? Praeterea Carolus aestate demum, iisdem auctoribus, Aquis Granensibus in Saxoniam progressus et medio septembri Coloniam reuersus, Albim traiecisse haud videtur; quum praefertim nullius proelii aut certaminis fiat mentio; vt rebelles deditioem vltro fecisse, et euocatos in Franciam imperio lubentes paruissse, e POETAE SAXONIS narratione sub anno proximo colligas, qui

no3):(2 iam

iam tunc vno foedere cum Francis coiisse omnes
Saxones Salzae, et transductos pacate, amplissimis,
muneribus et latifundiis donatos, nunquam porro
a fide defecisse testatur: (l. IV. v. 122. sq.)

Quos PER TER DENOS ET TRES *tam duriter*
ANNOS

Linquere PROTRACTI *penitus conamina belli*
PLVS REGIS PIETAS ET MVNIFICENTIA FE-
CIT,

QVAM TERROR. *Nam* SE QVISQVIS COMMISE-
RAT *eius*

PRAECLARAE FIDEI, *ritus spernendo profanos,*
HVNC OPIBVS DITANS ORNABAT HONORI-
BVS AMPLIS.

COPIA PAVPERIBVS SAXONIBVS AGNITA
primum

Tunc fuerat RERVM, *quas Gallia fert opulenta;*
PRAEDIA PRAESTITERAT QVVM REX COM-
PLVRIBVS *illic,*

Ex quibus acciperent pretiosae tegmina vestis,
Argenti cumulos, dulcisque fluenta Lyaei.

His ubi primores donis illexerat omnes
Subiectos sibimet, reliquos obtriuerat armis;

Et multis experta modis innotuit eius
Tam dulcis pietas, quam formidabilis ira;

PRAEFATVM STATVERE FIDE SERVARE
PERENNI

FOEDVS, (Salzense A. C. 1000 III initum)
ET VLTERRIS NON ID MVTTASSE PROBANTVR.

Con-

Conueniunt haec exactissime cum iis, quae in vita
Caroli EINHARDVS de fine belli post XXXIII.
annum, nullis manentibus reliquiis, et non de foe-
dere minus, quam praemiis, quae submittentibus se
et traductis data sint, memoriae mandauit. Et ali-
oquin scriptor, ne integro quidem saeculo posteri-
or, et qui, praeterquam in metro, nihil poetarum ha-
bet, quid quod natione Saxo, fidem omnino mere-
tur. Ergo nihil tunc per vim gestum, et si qui for-
te adhuc transducendi hoc anno lcccciv. supere-
rant, haud inuiti venerunt praefinita ad loca, et cle-
menter suscepti sunt. Neque etiam horum causa
militem imperator in Saxoniam adduxerat; sed ne
imparatus Godofredo occurreret. At hunc ipsum
quod iidem scriptores, quos memorauimus, a suis
Sliesuici retentum, et ne propius ad Carolum acce-
deret, prohibitum produnt, nonne satis indicat,
nullos trans Albim ductos Francos, nedum in Hol-
fatiam, Sliae sane quam vicinam, fuisse? Quid quod
ipsa locutio, super Albim sedere, stilo monacho-
rum nihil aliud significat, quam propius ad Albim
consistere, ut etiam ALBERTVS STADENSIS expli-
cat. Nec *locum* quoque dicturi isti scriptores regi-
onem spatiosam Holfatiae fuissent. Tanta quoque
scripturae varietas isto in nomine suspicionem au-
get, turbatum aliquid fuisse. Ex nobis tamen si
quis quaerat, quo in loco Caroli, legatos Danicos
excipientis, castra fuisse putemus, nihil habemus

in praesens compertius, quam fuisse ad opidum Ol-
denstedt, quod alii Hollenstet et Alt Vltzen vo-
cant, haud procul ab amne Vipperauija, Lunebur-
gico in tractu. Obfuit SCHVRTZFLEISCHIO
(Diff. de rebus Dan. §. II. not. c. in fine) festina-
tio, vt non tam ludicra modo commenta de Holt-
fattis a silua nomen adeptis probaret, nulla meliore,
quam Bangertus, auctoritate vsus; sed errorem istum
etiam alio maufestiore auget. Scribit enim
eosdem Holsingos vocari in ANNALIBVS PI-
THOEI ad A. C. 15 C C C L I I. Hi vero, qui praeter
posteriora additamenta non alii sunt, quam FVL-
DENSES, hic certe nihil discrepant, de Ludouico
rege hoc referunt, ipsum habitis in Saxonia comi-
tiis gentis, *inde transiisse per Angros, Harudes, Sua-
bos, et Holsingos, ingressumque Thuringiam, Erf-
fesfurti conuentum egisse.* Quis vero non intelli-
gat, quam nihil hic de Holtfattis? Angri satis noti
sunt; Harudes vocantur pagi Hartigau incolae, ac-
colae siluae Harzicae; Suabi, pagi Sueuon culto-
res, ut in tam definito et certo ex Angaria Erfordi-
am itinere non alii sequi possint, quam Hassigoi, vt
etiam necessario in ANNALIBVS his legendum. (v.
LEVCKFELD. Antiq. Halberst. p. 17.) Verum oppor-
tuniorem in locum incidere non potuissimus, quo
nostra hic proposita explicatio REGINONIS et reli-
quorum vindicaretur. SCRIPTOR ENIM FVLDEN-
SIS locum comitiorum sic designat: *Igitur in loco,*
qui

qui appellatur *Nimia super amnem, quem Cornelius Tacitus scriptor rerum a Romanis in ea gestarum Visurgim, moderni vero Wisuracha vocant, habito generali conuentu.* Adparet hinc locum de vrbe, non regione, sermone istius aevi dici; et super Visurgim non notare trans flumen, sed prope illud. Nemo autem, Angariae propinquae ob mentionem, et itineris Ludouiciani ratione habita, dubitauerit, pro *Nimia*, quod nomen inauditum est, in ANNALIBVS scribendum esse *Minda*, aut *Mimida* certe, vt aliis ex rationibus perite calculos subducit HAHNIUS. Non veremur, ne idoneis arbitris hoc erga patriae res studium inane videatur. Diu est, quod viri summi monumentis Germaniae historicis medii aevi artem criticam non secius, quam vetustis scriptoribus Graeciae et Latii, adhiberi optarunt. Excitant nos crebri et blandi hortatus amicorum, quorum iudiciis nihil acrius limatusue, vt hanc materiam porro praeparemus, qua aliquando digesta et ad vsus aptata, sumere certa et firma liceat ad monumentum gloriae maiorum struendum. Licet ea in re Galliae eruditae exempla sequi, cuius historiae ingens lumen criticorum industria intulit, habetque ea ars maiores in dies progressus, quod in florentissimis elegantiorum litterarum academiis praemiis et honoribus ingenia prouocantur. Nec forte boni ciuis officio dignius quidquam reperias, quam hanc philologiam patriae conciliare.

Sed

Sed si hominum acta in memoria rerum con-
feruanda iure sunt; quanto laudabilius opera dei
celebrabuntur? Induxit hoc in animum CAROLVS
CHRISTIANVS KOCH, *Domitsciensis Misnicus, LL.*
AA. M. et SS. Theol. Cultor, qui, praeclarissimo-
rum, in quibus versatur, studiorum editurus speci-
men, ex testamenti Weyrauchiani lege, memori-
am sacrorum, diuina olim ope apud nos repurga-
torum recolet, et a. d. VII. Kal. Febr. orationem
de Luthero ad eam operam religioni nauandam di-
uinitus aduocato maiore in auditorio habebit.
Nullum sanctius autem atque religiosius pignus
quum academia haec nostra custodiat, quam do-
ctrinam istam Christi restitutam et a commentis su-
perstitionis et fraudis immunem, nostrum erit,
CIVES, animos coelestis muneris memores pios-
que et gratos ostendere, vt tam frequentes, quam
beneuoli, ad audiendum adsimus, et honore,
quanto licuerit, institutum patriae honorifi-
cum et salutare prosequamur. P. P. A. R. S.

clō 15 CC LXII. a. d. VII. Kal. Febr.



T. 2972

ULB Halle
007 441 851


3



40







4

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
GEORGIVS
R V D O L P H V S
BOEHMER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANIC. PROF. PVBL.
ORDINARIVS

I N S T I T V T V M
CAROLI CHRISTIANI KOCH

DOMITSCIENSIS MISNICI
LL. AA. M. ET SS. TH. CVLTORIS
MEMORIAM REPVRGATORVM SACRORVM
ORATIONE ANNIVERSARIA

MAIORI IN AVDITORIO

A. D. VII. KAL. FEBR. A. R. S. c^o l^o CCLXII.

CELEBRATVRI

C I V I B V S

ET POSTERITATI COMMENDAT

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen VIII.
de originibus Saxonis III.*

VITEBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

